

1217.
[m. 10.]

De conductu regis Scottorum. Rex constabulario Cestrie, salutem. Mandamus vobis quod die Sancti Andree, anno regni nostri secundo, occurratis regi Scottorum apud Berewic, ad conducendum eum et suos, quos secum duxerit, unacum Roberto de Ros, ad nos, ad loquendum nobiscum, et ad faciendum nobis quod facere debet. Et in hujus rei testimonium has litteras nostras patentes, sigillatas sigillo comitis Marescalli, rectoris nostri et regni nostri, quia nondum sigillum habuimus, vobis inde mittimus. Teste eodem comite, ut supra.

Eodem modo scribitur Roberto de Ros.

Pro domino Dunolmensi episcopo, de castro de Alnewic et baronia. Rex vicecomiti Norhumberlande, salutem. Scias quod commisimus venerabili patri nostro, domino R. Dunolmensi episcopo, cancellario nostro, custodiam castri de Alnewic, cum pertinentiis suis, et quicquid pertinet ad baroniam de Alnewick infra comitatum Norhumberlande; ita quidem quod habeat villam de Alnewic, cum pertinentiis suis, et estoverium suum de foresta de Alnewic ad custodiam ejusdem castri sustentandam, salva Margarete, que fuit uxor Eustachii de Vescy, racionabili dote sua. Et ideo tibi precipimus quod de predictis castro, foresta vel baronia infra comitatum Norhumberlande te non intromittas. Et in hujus rei testimonium etc. ut supra. Teste eodem comite, ut supra.

De custodia castrorum de Wisebech et de Crech. Rex Falkesio de Breaute, salutem. Sciatis quod commisimus venerabili patri nostro in Christo, domino R. Sarrisburiensi episcopo, custodiam castrorum de Wisebek et de Crek, quamdiu nobis placuerit. Et ideo vobis mandamus quatinus sine dilacione predicta castra cum pertinentiis eidem episcopo liberari faciatis. Et in hujus rei testimonium etc. ut supra. Teste eodem comite, ut supra.

Rex Falkesio de Breaute, salutem. Sciatis quod per ordinacionem domini legati et communis consilii nostri, commisimus venerabili patri nostro, domino R. Sarrisburiensi episcopo, castra de Wisebek et de Creche custodienda quamdiu nobis placuerit. Et ideo vobis mandamus quatinus sine dilacione eidem episcopo castra predicta, vel certo nuncio suo has litteras nostras vobis deferenti, liberari faciatis. Et in hujus rei testimonium etc. ut supra. Teste ipso comite, ut supra.

[m. 9.]

Pro Willelmo de Marisco. Rex Hugoni de Vivona salutem. Sciatis quod Willelmus de Marisco fecit nos securos de fideli servicio nobis faciendo. Et ideo vobis mandamus quatinus, omni dilacione postposita, eidem Willelmo insulam suam de Lundy et uxorem ejus cum quatuor filiis et duabus filiabus suis, captis in prefata insula, liberari faciatis. Et in hujus rei testimonium, has litteras nostras patentes sigillatas sigillo comitis W. Marescalli, rectoris nostri et regni nostri, fecimus sigillari. Teste eodem comite, apud Westmonasterium, vij die Novembris.

Pro Rogero Bertram. Rex Philippo de Ulecot, salutem. Sciatis quod Rogerus Bertram fecit nos securos de fideli servicio suo nobis faciendo. Et ideo vobis mandamus quatinus, omni dilacione postposita, eidem Rogero castrum suum de Midford cum pertinentiis, et omnes terras suas, et feoda sua cum pertinentiis suis in baillia vestra, unde dissaisitus fuit occasione guerre, liberari faciatis. Et in hujus etc. ut supra. Teste ipso comite, apud Westmonasterium, vij die Novembris.